



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.4. Desiderii perfidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

tri, quod rexerat & ædificaverat, se- Sæcul. VIII.  
pultus.

A. C. 773.

## §. IV.

*Desiderii perfidia.*

Rex Desiderius, cum nullis artibus effi- *Anast.*  
cere potuisset, ut Hadrianus Papa ad  
se veniret, & Carolomanni filios conse-  
craret, Ticino cum ipsis & exercitu eges-  
sus Romam movit. Misit vero, qui præ-  
cederent & Papam monerent. Is re-  
spondit: *Nisi Rex Civitates, sicut pro-  
misit, restituat, & quod æquitas postulat,  
faciat, frustra itineris laborem suscipit,  
nam ejus conspectum subire nolo.* Cum  
hæc responsio Desiderium ab expeditione  
non remoraretur, eumque Papa pro-  
pediem adsulturum sciret, collectis, quas  
potuit, copiis urbem tueri statuit, vasa  
omnia & thesauros Ecclesiarum S. Petri  
& S. Pauli intra mœnia comportari, &  
ita custodiri jubet, ut Rex ea rapere non  
posset, nisi portis manifesta vi effractis.  
Tum rursus ad eum mittit epistolam per  
Divina Mysteria obsecrans, ne militem in  
Romanorum Ditionem se invito duceret.  
Hanc admonitionem ad Desiderium per-  
tulerunt Episcopi tres, Eustratius Alba-  
nensis, Andreas Prænestinus, & Theodo-  
rus Tiburtinus, qua Viterbii accepta Rex  
a proposito desistens ad sua rediit.

Interim

Sæcul. VIII.

A. C. 774.

Interim Regi Carolo datis litteris significavit, quod captas Civitates redidisset, & Ecclesiæ Romanæ plenissime satisfecisset. Carolus, ut in primis exploraret, num vera scriberet, Romam misit Episcopum nomine Georgium, Wulfardum Abbatem S. Martini Turenensis, & Albinum clientum suorum amantissimum, quibus ad ipsas Civitates pervenientibus demonstratum, mentitum fuisse Desiderium, & nihil eorum, quæ dixerat, adimplevisse. Ergo Carolus cum adhuc dum saepius Desiderium ad foedera cum Pontifice ineunda exhortatus fuisset, & se nihil agere cognosceret, superatis cum exercitu Alpibus Ticini, in qua Civitate se incluserat, eundem obdidet. Interim Longobardi omnes Reati & Spoletoni se Hadriano Papæ tradiderunt, cui & Successoribus ipsius in Ecclesia S. Petri collecti fidem jurarunt. Tum capillos barbamque more Romano attendent, quibus Papa suæ nationis Ducem, ab ipsis electum, nomine Hildebrandum præfecit. Horum exemplum Firmani, Auximates, Anconitani fecuti sunt.

## §. V.

*Carolus Romæ.*

**O**bsidio Civitatis Ticinensis sex mensibus tenuit in eaque Carolus hyemem &